



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 35. Propositum Concilium Generale convocandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

stinianum oportuisset, inutilium rerum Sæculum VI.
 scrutatione distinebatur, & abstrusis de A. C. 550.
Natura Divina Quæstionibus. Idem
 Procopius quemdam, cui Nomen Arsa-
 cius, conjuratorum adversus Cæsarem
 conscium & socium ita loquentem indu-
 cit: *semper sedet in Musæo procul absen-*
tibus Prætorianis in mediam noctem cum
Episcopis decrepitæ senectutis Christiano-
rum libros aviditate inexplebili revol-
vens.

§. XXXV.

Propositum Concilium Generale con-
vocandi.

Vigilius Papa minime ignorabat, quan- Sent. in
 tum scandalum creasset suum *Judi-* Theod. p.
catum, & quanto fervore Episcopi Occi- 335.
 dentis tria Capitula tuerentur. Econtra Ep. Legat.
 Theodorus Cæsariensis & Orientales in p. 407.
 stantissime postulabant, ut ea absolute, &
 nulla facta Concilii Calcedonensis men-
 tione damnaret. Cum ista importune
 urgere non cessarent, dixit Papa ad Im-
 peratorem: *Veniant Fratres Nostri in*
banc Civitatem ex singulis Provinciis
quinque sexve Episcopi! tunc Causam
banc in pace & communi consensu defi-
niemus. Nunquam enim eo adduci me si-
nam, ut solus, & nisi omnes consenserint,
illud faciam, quod Auctoritatem Concilii
Calce-

Sæculum VI. A. C. 550. *Calcedonensis dubiam reddit, & Fratribus meis Scandalo est.* Ita ab Imperatore obtinuit promissum, ut, iis omnibus, quæ a quocunque de tribus Capitulis usque in eam diem dicta scriptave fuissent, non obstantibus, in Concilio cum Episcopis Africæ, Illyrici, aliarumque Provinciarum, quid factu opus esset, examinaretur, & illi præ aliis vocarentur, quibus hæcenus acta offendiculo fuissent. Præprimis nemo in Causa trium Capitulorum quidquam attentaret, donec Concilium Sententiam pronunciaffet. Hæc inter Papam & Imperatorem, Menna Constantinopolitano, Dacio Mediolanensi, Theodoro Cæsariensi, quibusdam aliis Episcopis Græcis, & Latinis, Judicibus, Optimatibus, & toto Senatu præsentibus statuta.

Imperator, ut quod decretum fuerat exequeretur, in Africam & Illyricum misit, qui Episcopos accerserent. Verum nullus ex Illyrico venire voluit. Ex Africa non nulli in viam se dederunt, qui cum Constantinopoli non longe abessent, dixit Vigilius Papa ad Imperatorem: *Si id quod judicavi tibi non placet (de suo iudicato loquebatur) redde illud mihi, & cum Episcopis istis, qui propediem aderunt, Causam denuo discutiemus.* Ita Papa iudicatum suum publice in quodam Conventu

ventu recepit. (*) Subscriptionem quoque suam Episcopi Græci reposcenti reddiderunt, edixitque Pontifex; si quis eorum in causa trium Capitulorum quidquam moveret ante initium Concilii Universalis, a Communione S. Sedis esse removendum.

Sæculum VI.
A. C. 550.

§. XXXVI.

Concilium Mopsuestenum.

Interim ut ad Concilium Generale viam sternerent, Imperator, seu verius, sub Imperatoris nomine Orientales, Concilium Mopsuestiæ convocarunt, demonstraturi, Theodori Nomen in illius Ecclesiæ Diptychis non legi, nec hominum memoriam superesse, aliquando fuisse lectum. Igitur Imperator ad Joannem Episcopum Justinianopolitanum, secundæ Ciliciæ Metropolitanam, & ad Cosmum Episcopum Mopsuestenum litteras dedit. Acceptis his Mandatis Concilium anno nono post Consulatum Basilii Indictione decima tertia id est anno 550. 17. Junii celebratum. Præfuit Joannes, cui octo Episcopi ejusdem Provinciæ assistebant. Mathanius Cubiculariorum Comes tanquam Imperatoris Mandatarius, item omnes Clerici Mopsuestiæ, duo Comites, duo Tribuni, alii quidam ex Ministris, & multi

to. 5. Conc.
p. 491.

(*) Istud Vigilii Papæ factum, si quid prius peccatum, satis diluit.